NONNULLA DE HAEMORRHOIDE CONSTITUTIONALI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XI. M. JULII A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES HENRICUS WIRTH

MOSELLANUS.

OPPONENTIBUS:

GUIL. BECK, MED. ET CHIR. DRE.
P. BRUEHL, MED. ET CHIR. CAND.
C. WIRTH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO, CARISSIMO,

G. H. WIRTH,

MEDICO PRACTICO APUD MOSELLANOS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quae sub communi *haemorrhoidum* nomine comprehenduntur, quibusque praecipue adnumerantur: sanguinis in recti intestini vasis accumulatio, ejusdem vel et alius humoris, plerumque pituitosi aut puriformis, ex ano profusio, ibidem nodi et tumores variae indolis, figurae, magnitudinis, et multa alia inde scaturientia symptomata; haec omnia recti intestini vitia quoad originem et connexum, quem cum aliarum corporis partium vitiis plus minusve habent, et quoad vim, quam aut damnosam aut salutarem in totius corporis valetudinem exserunt, tam diversa sunt, ut ad hanc rem complicatam rite cognoscendam et aestimandam diversa distinguenda, distincta singulatim consideranda sint. Quas eapropter diversi medici proposuerunt, haemorrhoidum distinctiones admodum diversae sunt, quarum tamen nulla facile utilior et aptior, quam quae illarum originem et connexum cum reliqui corporis valetudine respicit, distinctio nimirum in haemorrhoidas locales et universales, posteriorumque in haemorrhoidas symptomaticas et constitutionales.

Haemorrhoides locales vocantur, quae nullum cum reliqui corporis valetudine, sit sana sit morbosa, connexum agnoscunt, sed ex causis solummodo externis, ipsum re-

ctum intestinum immediate afficientibus, ortae sunt. Ejusmodi haemorrhoidas excitare possunt omnia momenta, quae rectum intestinum aut irritant, aut relaxant, aut sanguinis per ejusdem venas regressum mechanice retardant et impediunt. Ad haec imprimis pertinent: abusus clysterum, suppositoriorum, remediorum drasticorum, hirudinum ad anum applicatio crebrior, equitatio, praesertim in equo nudo, et vectio in rheda per vias saxosas crebrior et diuturnior, consuetudo per magnam diei partem sellis perforatis, latrinis diutius insidendi, corporis motus nimius, praecipue sub coelo fervido, aestus vel frigus nimium podici admissum, in eundem ictus, lapsus, paederastia, ascarides vermiculares, faecum durarum in recto intestino accumulatio justo major earumque ibidem commoratio nimis longa, nixus ad alvum deponendam diuturnus, vestes femorales nimis arctae, partus longus et difficilis etc. —

Haemorrhoides universales dicuntur, quae cum corporis aliis morbis, cum localibus tum universalibus, cohaerent, et causis solummodo internis, in ipso corpore latentibus, originem suam debent. Sunt vero aut symptomaticae aut constitutionales.

Haemorrhoides symptomaticae appellantur, quae cum reliqui corporis vitiis ita conjunctae sunt, ut eorum plerumque jam valde protractorum magnumque ad gradum evectorum nonnisi symptoma molestum et accidentale sistant, quin morbum, unde ortum traxerint, levent et in melius mutent, ut potius eundem haud raro intendant ejusque vim in corporis valetudinem damnosam augeant. Ad morbos, quibus ejusmodi haemorrhoides accedere solent, praeprimis referuntur: organorum abdominalium

varia vitia, praesertim organica, qualia sunt tumor, induratio, degeneratio et desorganisatio hepatis, lienis, mesenterii, mesocoli, pancreatis, ventriculi et reliqui tubi alimentaris, renum, vesicae urinariae (calculus in eadem) prostatae, uteri, vaginae, ovariorum, adipis nimia copia omento vel alibi collecti, hydrops ascites; vitia organica cordis et pulmonum, praecipue phthisis pulmonalis admodum progressa, praeterea sanguinis dissolutio universalis, qualis in scorbuto, morbo maculoso Werlhofii, febribus putridis etc.

Haemorrhoides denique constitutionales seu verae seu spontaneae nominantur, quae cum universali corporis valetudine plus minusve adversa cohaerent, ac sicut illa, in systematis sanguinei conditione quadam morbosa proxime fundatae sunt, et originem suam debent salutari naturae conamini, illam sanguinis conditionem morbosam ad certum usque gradum provectam sanguinis ex intestino recto profusione saltem pro tempore exaequandi, eoque modo molestias inde ortas leniendi vel omnino amovendi. Et interdum quidem huic naturae conamini sanguinis ex intestino recto profusio satis copiosa cum conspicuo molestiarum levamine sine praeviis ad rectum intestinum vel alias ad partes ei vicinas multis molestiis facile statimque succedit, sed multo saepius sola sanguinis ad illas partes inferiores congestio, et, quae inde oriuntur, symptomata sequuntur. Hac ratione sanguinis per abdominis organa circulatio perturbatur, perturbata functiones eorum laedit, itaque magna abdominis pars in statum morbosum incidit, cui valde protracto majoremque ad gradum progresso peculiaris nisus inhaeret, ad rectum intestinum se contrahendi, sanguinis ex eodem

profusione plus minusve copiosa pro tempore longiore vel breviore se exonerandi et corpus ipsum, in quo latet, a principiis morbidis expurgandi, quantumque fieri possit, in sanitatem pristinam restituendi.

Quum de hoc haemorrhoidum genere nonnulla disserere mihi proposuerim, rei optime convenire videtur, jam omnium primum signa et symptomata, quae haemorrhoidi constitutionali competunt, ejusque in homine latentis cognitionem declarant, et causas haemorrhoidi constitutionali procreandae praecipue idoneas enarrare, tum exponere, quaenam causae illius decursum regularem pervertere valeant, et quaenam sequelae ejus decursum perversum excipere soleant, e quibus omnibus allatis haemorrhoidum constitutionalium indoles et originis ratio facilius certiusque erui possint.

DE PRAECIPUIS HAEMORRHOIDIS CONSTITUTIONALIS SYMPTOMATIBUS.

Omnium, quae homines haemorrhoide constitutionali laborantes medico exploranti offerunt, symptomatum vulgatissima et certissima sunt:

1. *Sanguinis ex recto intestino profusio* plus minusve copiosa, plerumque sub alvi dejectione, temporis tractu rarius saepiusve revertens. Symptomata, quae hunc fluxum praecedunt et comitantur, eum a profluviis cruentis alia ex causa alioque ex intestinorum loco profectis abunde distinguunt. Hoc quidem sanguinis profluvium saepe post magnam annorum seriem vel et nunquam procedit, sed nihilominus alia symptomata in homine

praesentia diathesin vel et ipsum morbum haemorrhoidalem in eodem latentem demonstrare possunt.

2. *Nodi et tumores ad anum vel in recti intestini cavo* variae indolis, formae, multitudinis et magnitudinis, quorum minores magnitudinem pisi usque ad castaneam referentes *nodi haemorrhoidales*, majores ovi columbini ulterioremque magnitudinem referentes *sacci haemorrhoidales* dicuntur. Initio hi tumores saepe asparagi turionum capitulis haud dissimiles, coloris e rubro coerulei sunt, et aut externo recti intestini margini insident oculisque patent *(haemorrhoides externae)*, aut recti intestini partem sub ejus sphinctere sitam vel et superiorem obsident, nec nisi speculo ani aut digito immisso deteguntur *(haemorrhoides internae)*. Plurima sanguinis profluvia haemorrhoidalia ex his tumoribus plerumque sub faecum durarum excretione per recti intestini sphincterem compressis oriuntur *(haemorrhoides fluentes sanguinolentae)*; interdum vero hi tumores et membrana recti intestini mucosa sanguinis loco materiam pituitosam vel puriformem profundunt *(haemorrhoides fluentes albae, mucosae)*. Saepissime etiam tumores adsunt, quin unquam sanguis aut alius humor ex iis profluat *(haemorrhoides coecae)*; nec nunquam inflammatione ejusque sequelis, induratione, suppuratione, exulceratione, gangraena corripiuntur valdeque dolent *(haemorrhoides dolentes, furentes, inflammatae, induratae seu scirrhosae, suppurantes, ulcerosae, gangraenosae)*.

His haemorrhoidis signis potioribus magisque constantibus praemissis jam ad accuratiorem haemorrhoidis constitutionalis historiam aggrediamur ceteraque ejusdem symptomata graviora enumerabimus.

Ut vero morbi haemorrhoidalis cognitio facilior cla-

riorque evadat, eum regulariter decurrentem cum nonnullis scriptoribus in tria stadia dividere nobis placet, quorum primum complectitur morbi evolutionem seu *diathesin haemorrhoidalem;* secundum naturae conamen, diathesin illam morbosam per sanguinis ex recto intestino profusionem exaequandi, *motus seu molimina haemorrhoidalia;* tertium denique ipsum sanguinis vel et materiae pituitosae aut puriformis ex intestino recto profluvium cum symptomatum praeviorum levamine conspicuo, *fluxum haemorrhoidalem.*

Atque *diathesi haemorrhoidali* haec fere symptomata plus minusve competunt: Aetas virilis provectiorque, temperamentum cholericum melancholicumque, constitutio venosa seu atrabilaris veterum, color faciei e rubro flavescens, aut luridus squalidusque, venae turgidae ad frontem, palpebras partesque vicinas, ad manus et pedes sub cute conspicuae, genarum et nasi cutis rete superficiale vasculorum sangniferorum quasi arte injectorum haud raro offert, margines subflavi, lividi vel squalidi ad oculos concavos, ad nasi alas et oris labia, adspectus magis minusve tristis et morosus, oculi albuginea plerumque apparet subflava vel livida, ejusque in membrana conjunctiva singula vasa turgida profunde rubra observantur, quae ad corneae marginem proreptant et quin hunc attingant, aut quasi abscissa desistunt, aut prope illum sinuata aliisque cum vasculis ejusmodi conjuncta arcus formant; lingua plerumque est mucosa, albescens, et ad radicem materie subflava obtecta, abdomen praevalidum ejusque praecordia saepe tumefacta reperiuntur, organa post illa, abdominis cavo suspensa, saepe aucta, interdum etiam indurata manui tangenti prementique, aegroto

ipsi mole graviora et molesta apparent, pulsus haud raro justo frequentior, parvus, duriusculus, contractus, inaequalis.

Molestiarum, de quibus homines diathesi haemorrhoidali obnoxii praecipue conqueruntur, potiores hae fere sunt. Aegritudo universalis, sensus molesti varii generis ad hypochondria interque umbilicum et processum sterni ensiformem, quales sunt pressio, tensio, ardor, pulsatio, anxietas et inquietudo; appetitus prostratio, interdum alternans cum edacitate, sed post ciborum esum sensus oppletionis et pressionis in regione epigastrica, intestinorum flatus crebriores, ructus acidus et graveolens, faucium et oris siccitas, saporis depravatio et amaritudo; nonnunquam capitis gravitas, dolor, occiput praecipue occupans, vertigo, somnolentia, insomnia terrifica, aurium susurrus, oculorum micatio et caligo transitoria, cordis palpitatio, pronitas ad tussim et ad affectiones catarrhales, respirandi difficultas post animi et corporis motus nimis incitatos coenamque justo largiorem; screatus frequens et molestus, ardor et dolor vagus in pectore, horripilationes vagae cum aestu fugaci juxta dorsum et lumbos alternantes, lassitudo et languor artuum, pedum et manuum frigus, sudor molestus ad perinaeum partesque ei vicinas, urina modo aquosa, modo jumentosa, excretio alvi irregularis modo ejusdem obstructio, modo profusio haud raro cum molestiarum levamine plus minusve conspicuo. Quae modo enumeravimus symptomata neque omnia quisque diathesi haemorrhoidali affectus, neque omni tempore eadem offert, sed pro ipsius constitutione, vitae genere, anni tempore aliisque momentis externis illa admodum varia sunt. Sic tem-

pestate serena et calore moderato, praesertim quum aegrotantes corpus pede vel equitatione vel alio modo mediocriter movent, molestiae admodum leniuntur, vel et omnino breve per tempus silent; tristi contra coelo et humido temperieque fervida, sub vitae genere pravo, praesertim post usum ciborum et potulentorum nimis irritantium et obstruentium symptomata supra enarrata augentur et intenduntur.

Hoc diatheseos stadium per menses et annos cum symptomatum modo remissione, modo exacerbatione durare potest, quin moliminum et fluxus ad rectum intestinum symptomata succedant; imo si diathesis illa morbosa non tam in corporis totius constitutione jure quasi hereditario fundata est, quam potius pravae vivendi rationi aliisve potentiis nocivis originem debet, si praeterea modo brevi ex tempore neque majorem ad gradum in homine ceteroquin sano exculta est, tum saepissime accidit, ut sub apto vitae regimine, sudoribus peculiaris odoris ad pedes, perinaeum, genitalia, et flexuram femoris, alvi dejectionibus hinc inde largioribus, urina turbida, mucosa, sedimentum aurantiacum vel roseum deponente et transpiratione cutanea universali modice promota non solum molestiae mitigentur et imminuantur, sed etiam ipsa diathesis omnino exaequetur, et si aegrotans non amplius potentiis nocentibus sese exponat, radicitus extinguatur. Si vero sub conditionibus contrariis diathesis haemorrhoidalis temporis lapsu magis magisque increscit majoremque gradum attingit, diatheseos symptomatibus multa alia praecipue ad organa in pelvi sita accedunt, quae

Molimina haemorrhoidalia designant, quibusque haec plus minusve adnumeranda sunt:

Dolores prementes, trahentes ad lumbos, os sacrum et coxas, sensus oppletionis, gravitatis, ardoris, pulsationis, constrictionis, doloris prementis, pungentis ad rectum intestinum, ac si corpus peregrinum acutum hispidumve in illo haereat, tenesmus, dolor acerbus sub faecum durarum exitu, pruritus et sudor molestus ad anum, perinaeum, partesque ei adjacentes, pruritus ad penis glandem et juxta urethram, tensio et retractio testiculorum, coitus concupiscentia crebrior, erectiones et pollutiones nocturnae crebriores, dolores trahentes ligamentorum uteri rotundorum iter sequentes, et sensus, ac si uterus in vaginam descendat, calor, pruritus, ardor in vagina et sub coitu dolor, praeterea interdum dolores trahentes ureterum iter sequentes, urinam mittendi difficultas, dysuria, stranguria, secessus urinae rubrae, turbulentae, mucosae, varium sedimentum deponentis; venae femorum et genitalium cuti subjacentes, praecipue autem venae ani et recti intestini admodum turgent.

Haec moliminum haemorrhoidalium symptomata longius breviusve durant, et, quin sanguis ex ano profluat, saepe evanescunt, sed ocyus seriusve plerumque redeunt; interdum tamen eodem modo, quo diathesis, exaequantur et in posterum omnino silent. Sed plerumque his moliminibus temporis tractu pluries repetitis magis magisque intensis tandem succedit:

Fluxus haemorrhoidalis atque his fere sub symptomatibus: praeviis praecipue torminibus ventris, tenesmo, anxietate, cordis palpitatione, doloribus trahentibus ad os sacrum, pruritu et dolore ad perinaeum, ceterisque ex intestino recto scaturientibus molestiis majorem ad vehementiae gradum elatis, aegrum vehemens alvum de-

jiciendi impetus plerumque invadit, cui obtemperans saepe sub doloribus atrocissimis faeces duras humore mucoso et cruento obductas per anum excernit, et post illas cruorem aut humorem carnis loturae similem, aut materiam pituitosam plus minusve copiose per alvum deponit. Sunt tamen etiam, quibus cruor sine praeviis tot tantisque molestiis ad rectum intestinum vel alias ad partes copiose ex ano profluat. Locus, unde cruor venit, cruorisque profusi copia et indoles in haemorrhoidariis diversis diversa esse solent. Si, quod tamen rarius est, vascula infra recti intestini sphincterem sita sanguinem profundunt, profluvium plerumque sine doloribus, interdum etiam sine alvi dejectione simultanea evadit; si vero vascula supra sphincterem sita sanguinem edunt, hoc plerumque sub faecum excretione et cum doloribus redditur. Nonnunquam cruor paucus et faecibus affusus secedit (*haemorrhoides nimis parcae*) interdum etiam ingens sanguinis copia ex ano profunditur (*haemorrhoides profusae seu nimiae*). Fluxum haemorrhoidalem parciorem molestiarum praeviarum mitigatio vel brevis vel nulla excipit, per justo profusiorem symptomata praecedentia quidem evanescunt, sed in eorum locum multa alia et periculosiora mala plerumque succedunt; fluxum nonnisi moderatum, sed sufficientem conspicua et diuturna symptomatum levatio sequitur. Quod cruenti humoris profusi indolem attinet, qui, prout aut statim post effusionem, aut postquam effusus intestinali tubo per aliquod tempus commemoratus est, ex ano secedit, modo ruber liquidusque, modo ater coagulatusque apparet; verisimillimum est, hunc humorem non purum sanguinem, sed potius peculiarem materiam, sanguinis

cruori colorem debentem, esse; id quod inde colligi licet, quod iste humor profusus secretionis ope plerumque oritur, eique odor peculiaris, sanguine ipso alienus, competit. Nonnunquam tamen iste humor revera sanguis purus est, sed tum exitum suum debet vasis recti intestini per faeces duras et sphincteris constrictionem nimis vehementem vulneratis, a sanguine contento valdeque ibidem accumulato disruptis, aut a materie acri corrosis; atque hac ratione facile haemorrhoides profusae nascuntur. Tempus, intra quod fluxus haemorrhoidalis absolvitur, in haemorrhoidariis diversis diversum est. Quibusdam cruor semel, sed copiose ex ano profluit, aliis per complures dies, quotiescunque alvum deponunt, aliis per hebdomades et menses plerumque muco admixtus ex recto intestino secedit. Non minus varium est tempus, intra quod fluxus haemorrhoidalis redit; interdum enim modo post multorum annorum seriem, vel nunquam revertitur, nonnunquam per annum semel, bis, praesertim ineuntibus vere et autumno, ter, quater vel pluries, saepe quoque mense, raro bis per mensem, vel quaque hebdomade, interdum etiam continuo fere apparet. In feminis fluor haemorrhoidalis saepe menstrui vices agit, vel cum eodem simul contingit, vel cum eodem alternat ita, ut quovis decimo quarto die nunc haemorrhoidalis, nunc menstruus fluor accidat. Typus, quem fluor haemorrhoidalis rediturus observat, modo regularis, modo irregularis est. Quemque sanguifluxum haemorrhoidalem recentem molimina haemorrhoidalia praecedunt, sed temporis tractu magis magisque minora et mitiora fiunt ita, ut denique haud raro aegrotanti fere inscio sanguis ex ano profluat.

Haemorrhoidalis fluor cum ceteris profluviis cruentis ex ano emergentibus, aliis tamen ex causis alioque ex loco profectis, non facile confundi potest; nam quae eum praecedunt et concomitantur symptomata illum abunde dignoscunt, e. g. a dysenterico fluxu, qui vehementiore tenesmo, febri comite, artuum lassitudine majore, torminibus magis urgentibus, quae sequuntur faeces liquidae ut plurimum paucae, cum sanguine accuratius commistae, epidemico plerumque furore hominem aggreditur. Praeterea sanguis profusus in dysenteria sincerior est, neque odorem illum, qui cruori haemorrhoidali peculiaris est, offert; a sanguifluxu ventriculi, intestinorum tenuium, hepatis, quos fluxus plerumque symptomata debilitatis majoris, nauseae ac torminum sine localis ad anum affectionis indiciis praecedunt.

Iisdem fere, quae fluxum haemorrhoidalem sanguineum praecedunt, symptomatibus praeviis cruoris loco haud raro cum eodem molestiarum levamine ex recto intestino per anum excernitur materia pituitosa, albuminosa, gelatinosa, tenax, purulenta, coloris varii, nunc albi, nunc flavi, nunc viridis, interdum striis cruentis commixta, modo mitis et odoris expers, modo acris vel vere corrosiva et peculiariter graveolens. Haec materia plerumque ex ano secedit post alvi dejectionem sub ardore et tenesmo, interdum etiam sine alvi excretione et absque dolore conspicuo. Copia hujus materiae pituitosae in diversis haemorrhoidariis nec non diversis temporibus in eodem homine diversa esse solet, plerumque nonnulla cochlearia ejusdem per diem excernuntur.

Tempus, tum quod perseverat, tum intra quod revertitur hic fluor mucosus, non minus diversum est, quam

in fluxu haemorrhoidali cruento. Nam ille modo typum regularem observat, modo incertis temporis intervallis redit, haud raro continuus fit ita, ut ad haemorrhoidarii sanitatem relativam plane necessarius sit; fluxum cruentum saepe praecedit vel sequitur, nonnunquam cum eodem alternat. Hunc fluxum mucosum haemorrhoidalem a profluviis mucosis intestini recti alia ex causa vel aliunde ortis discernunt illa symptomata, quae dispositioni et moliminibus haemorrhoidalibus competunt, ipsumque fluxum praecedunt et comitantur; facilius autem confundi potest cum fluxu materiae purulentae ex abscessu, ulcere aut fistula ani, praesertim, quum haemorrhoides ipsae haud raro haec vitia inducant, vel cum istis conjunctim incedant. Sed symptomatum, quae fluorem praecesserunt, et induxisse videntur, accurata consideratio, recti intestini attenta inspectio et exploratio, materiae fluentis copia et indoles, ipseque modus, quo haec aut sponte destillat, aut exprimitur, hic lucem accendent.

Haud rarius vel et frequentius, quam fluor haemorrhoidalis, sit cruentus sit mucosus, moliminibus haemorrhoidalibus ad anum rectumque intestinum succedunt diversi illi tumores, qui *nodi, sacci, mariscae, tubercula haemorrhoidalia* vocantur. Quorum indolem quod attinet, aut sunt dilatationes vasorum ani et recti intestini membranae villosae subjacentium et revera *varices vasorum haemorrhoidalium*, aut e tela cellulari vel spongiosa constant, et originem suam debent sanguini in telam cellulosam membranae extremi recti intestini mucosae subjectam effuso, qui temporis lapsu sanguinis ad anum congestione iterata magis magisque auctus partes ambi

entes, ubi minus resistunt, extendit, propellit, eoque modo membranam mucosam in recti intestini cavum vel ad ani orificium protrudens tumores illos efficit.

Tumores varicosi praecipue in haemorrhoidariis alvi obstructioni pertinaci subjectis vitamque sedentariam agentibus reperiuntur. Vix non semper recti intestini partem superiorem, supra sphincterem sitam, obsident, nec nisi digito immisso deteguntur. Sunt plerumque figurae rotundae, coloris coerulei, vel e rubro subnigri, attactu molles, digito prementi facile statimque cedunt, et imminuuntur; compressione sublata ambitum priorem illico recuperant; interdum uvae haud dissimiles sunt, saepe funiculum nodosum exhibent; nascuntur paulatim sine dolore notabili, crescunt in omnes dimensiones a pisi magnitudine usque ad castaneae et ulteriorem ambitum.

Tumores cellulosi, qui varicosis multo crebriores sunt, et a nonnullis scriptoribus *mariscae aut cristae* haemorrhoidales dicuntur, tum supra, tum praecipue infra ani sphincterem sedem habent. Quoad formam sunt oblongi, plus minusve acuminati, modo basi lata inserti, modo pedunculati, haud raro cristae galli gallinacei, vel papillae mamillari similes; quoad colorem lividi, purpurei, rubri, interdum coerulei, magnitudinis variae, prout ex breviore vel longiore tempore exstant, temporis lapsu per vices nunc majores sunt et tumidi, nunc minores et corrugati; attactu sunt duriores et compactiores, quam varicosi, digitis compressi nonnisi paulatim et difficulter imminuuntur, et compressione sublata non statim, sed sensim sensimque magnitudinem pristinam recuperant. Utplurimum quidem hi tumores tela densa et spongiosa plane constructi sunt, nonnunquam tamen cavum san-

guine, modo fluido, modo grumoso repletum, peculiarique membrana instructum includunt ita, ut veros saccos exhibeant; ab initio sunt parvi, duriusculi, sed congestionibus sanguinis ad rectum intestinum crebrioribus sine ejusdem profusione temporis tractu paulatim ad tantum volumen increscere possunt, ut ovi anserini vel et pugni dimidii ulterioremque ambitum attingant, et ex ano propendeant.

Omnes hi tumores tam varicosi, quam cellulosi in diversis haemorrhoidariis, imo in eodem diversis temporibus quoad numerum, sedem, formam, colorem et magnitudinem admodum diversi sunt, nunc sicci reperiuntur, nunc sanguinem, vel pituitam transsudantes, nunc tument, nunc corrugantur, vel et omnino evanescunt, nonnunquam cum fluxu haemorrhoidali, tum cruento, tum albo, alternant. Initio plerumque modo unus adest tumor, sed postea plures exoriuntur atque ita augentur, ut haud raro in circulum connexi ani orificium occludant; interdum venae minores circa podicis orificium dilatantur, varicesque inextricabiles exhibent, quae dolorem ardentem pungentemque excitant, et a scriptoribus quibusdam *formicae* nominantur. Symptomata, quae hi tumores excitare valent, sunt: tensio, pressio, tenesmus ad anum, alvi obstructio pertinax, dolor acerbus sub faecum durarum exitu, earumque in formam non cylindricam, sed plus minusve compressam redactio. Si supra ani sphincterem sedent, sub nisu alvum dejiciendi saepe protruduntur, et si praegrandes sunt, protrusi manent, atque nonnisi arte reponi possunt. Sin vero propulsi non reponuntur, haud raro ab ani sphinctere arcte constricto sub enormi cruciatu in totum strangulantur

(haemorrhoides incarceratae). Tumores strangulati copiosiore sanguine suscepto valde intumescunt, et tum aliquo in loco disrupti, exesi, nunc sanguinem coloris atri, mox rubri, immensam aliquando ad copiam, ad lipothymiam, quin, ut aliquando funesta exempla docuerunt, ad mortem usque cum impetu praecipitant; nunc lente, aut levi tantum sub conatu, aut gurgite continuo, ad plures uncias usque ad libram et ultro per diem effundunt, aut non disrupti a continua frictione atque aëris attactu irritantur, inflammantur, hocque modo vel in indurationem, vel in suppurationem et ulcerationem, vel demum in ipsam gangraenam transeunt. Hac ratione tumores haemorrhoidales dirissimos dolores, qui gressum non minus, quam sessionem impediant, tormina ventris, vomiturititiones, motus febriles, convulsiones, urinae difficultatem et retentionem, aliaque mala atrocissima excitare possunt. A tumoribus et tuberculis ad anum aliis ex causis ortis, e. g., a verrucis et condylomatibus syphiliticis hos haemorrhoidales distinguunt diatheseos et moliminum haemorrhoidalium symptomata praegressa, ipsorum periodica intumescentia et corrugatio, eorum cum fluxu haemorrhoidali frequens conjunctio, vel alternatio, et symptomatum eos praecedentium haud rara mitigatio, sicut eorum tumescentia et dolor post diaetam nimis lautam et irritantem, post excessum in Baccho et post animi et corporis motus nimis incitatos.

DE PRAECIPUIS HAEMORRHOIDIS CONSTITUTIONALIS CAUSIS.

E causis haemorrhoidi constitutionali procreandae praecipue idoneis eas praesertim memorabimus, quae

diathesi illi morbosae, quam haemorrhoidalem dicimus, evolvendae potissimum favent. Sunt vero aut praedisponentes aut occasionales seu excitantes.

Atque haec fere ad haemorrhoidem constitutionalem quam maxime praedisponunt:

1. *Origo a parentibus morbo haemorrhoidali, vel ei simili obnoxiis.* Supremam illam omnis generationis legem, generatum a generante non tantum, quibus constituitur, materias et, quibus regatur, vires, sed et omnis formationis ulterioris omnisque efficientiae vitalis typum repetere, hinc etiam peculiarem vitae et formae organicae modum, quo parentes distinguantur, in proles transire; hanc necessitatis legem tum multorum aliorum morborum, tum etiam haemorrhoidum historia abunde confirmat. Nam experientia compertum habemus, haud raro omnes fere a stirpe quadam ortos, praesertim in aetate provectiore, haemorrhoidibus vel aliis morbis quoad indolem et originem iis similibus, e. g. hypochondria, infarctibus, obstructionibus organorum abdominalium, arthritide, podagra, lithiasi, laborare, ne his quidem exceptis, qui vitam simplicissimam et frugalissimam agunt, omnesque causas, quae iis oriundis faveant, prorsus fugiunt. Ejusmodi homines diathesin illam morbosam, unde haec mala originem trahunt, reconditam et in germine quasi reclusam exhibere videntur, quae plerumque non prius in lucem emergat, quam ipso, cui inhaeret, corpore ad certum usque gradum evoluto.

2. *Temperamentum cholericum melancholicumque et constitutio venosa seu atrabilaris veterum.* Quod, quae utrumque temperamentum et illam constitutionem designant, signa cum iis, quae diathesi haemorrhoidali competunt,

quodammodo conveniunt, jam inde colligi potest, homines alterius utrius temperamenti et constitutionis corporis venosae praeprimis ad haemorrhoidem constitutionalem praedispositos esse, quod etiam quotidiana experientia et observatio satis superque confirmat.

3) *Aetas virilis provectiorque.* Sicut omnino, quum progrediente aetate virili nisus in contractionem paulatim superare incipit, eoque arteriarum capacitas paulatim imminuitur faciliorque fit sanguinis in venis accumulatio, inde atque ex frequentiore simul functionum genitalium exercitio major dispositio ad morbos, qui radicem suam in viscera abdominalia agunt, huic aetati solemnis est; ita et quotidiana observatio docet, homines hujus provectiorisque aetatis potissimum haemorrhoidi constitutionali obnoxios esse, praesertim si aetate juvenili epistaxi vel et haemoptysi crebriori subjecti fuerint. In junioribus haemorrhois constitutionalis raro, fere nonnisi jure quasi hereditario ad illam dispositis observatur.

4) *Sexus uterque*, sed ita, ut viri ad haemorrhoides proniores sint, quam feminae, nisi menstruorum fluxus cessaverit, vel aliquando suppressus sit.

5) *Vita sedentaria*, quam ducunt literati, opifices, scribae, textores, sutores, sartores; praecipue autem subitanea ex vita agiliori in otiosam transmutatio.

6) *Clima fervidum.* Quum clima calidum constitutioni atrabilari, eaque ipsa haemorrhoidi faveat, verisimile est, in regionibus calidis haemorrhoidas crebriores esse, quam in frigidis. Nihilominus tamen nonnulli et experientissimi quidem scriptores contendunt, haemorrhoidas generi humano septentrionali inprimis proprias

et communes esse. Si hoc verum est, quod tamen scriptores alii non minus experti in dubium vocant, causa hujus rei non tam ad clima frigidum, quam potius ad vivendi rationem populis septentrionalibus propriam referenda est. Nam omnibus notum est, gentes septentrionales in Cerere et Baccho modum justum multo frequentius excedere quam australes.

Quarum causarum praedisponentium quo plures in homine concurrunt, eo leviores causae occasionales ad haemorrhoidem excitandam sufficiunt.

Ad causas haemorrhoidis constitutionalis occasionales referenda sunt:

1. *Omnia momenta, quae digestionis et chylificationis munus pervertunt, eoque modo justam sanguinis elaborationem impediunt.* Ad haec pertinent potentiae nocentes, tum quae organa his functionibus inservientia relaxant, eorumque vires directo modo debilitant, tum quae eadem nimis irritant, sanguine obruunt eorumque vires assimilatrices opprimunt et modo indirecto exhauriunt.

Ad potentias nocentes, quae digestionem directo modo debilitant, referuntur: abusus potulentorum calidorum et relaxantium, jusculorum tenuium, infusi mitis theae et coffeae, cerevisiae nimis aquosae; abusus ciborum digestu difficilium et inflantium, alimentorum pinguium, farinosorum, mucilaginosorum; motus animi deprimentes; jactura humorum etc.

Ad potentias nocivas, quae vires assimilatrices tubi intestinalis indirecto modo exhauriunt, praeprimis spectant: abusus potulentorum nimis excitantium, infusi fortioris coffëae, theae, chocolatae nimio aromate con-

ditae, spirituosorum, vini praecipue rubri, cerevisiae fortioris; abusus ciborum nimio aromate aut sale aut principio acri onustorum, allii, caepae, sinapeos, armoraciae etc.; abusus medicamentorum purgantium praecipue fortiorum, Aloës, Rhei, Sennae, Jalapae, Hellebori, Scammonii, Colocynthidis aliorumque remediorum irritantium; praeterea sordes gastricae, faeces durae diutius retentae, ascarides vermiculares.

Huc etiam referendi sunt omnes jam supra memorati stimuli ad rectum intestinum fortiores, qui et reliquum tubum alimentarem in consensum trahere valent.

2. *Omnia momenta, quae materierum e corpore eliminandarum excretionem retardant et impediunt, eoque modo sanguinis expurgationem prohibent.* Ad haec pertinent habitatio in regionibus humidis frigidisque, justa corporis motio neglecta, refrigeratio crebrior, mensium cessatio praematura, eorum retentio, suppressio, coitus nimia abstinentia, praesertim quondam frequenter exerciti, fluoris albi habitualis suppressio incauta, ulcerum habitualium exsiccatio, transpiratio cutanea imminuta, impetigines et exanthemata retropulsa, bilis secretio perversa, haemorrhagiarum ex aliis locis suppressio et retentio.

3. *Omnia momenta, quae sanguinis ex organis abdominalibus regressum retardant et impediunt.* Huc spectant: positio corporis ad anteriora diu inflexi, faeces durae, compactae, diutius in crassis intestinis stagnantes, nixus ad alvum deponendam diuturnus, intestinorum per flatus extensio crebrior ac diuturnior, abdominis compressio mechanica, quam inducunt vestes nimis arctae; inprimis femoralia toti ventri circumtensa, moles morbosa, ob-

structio, induratio cujusdam organi in abdomine contenti, etc. —

Omnia fere, quae modo enumeravimus, momenta in eo conveniunt, ut sanguinis per organa abdominalia circuitum pervertant, ejus accumulationem ibidem efficiant et hac ratione digestionem et chylificationem alterent ipsiusque tandem sanguinis indolem depravent; nonnulla tamen sanguinem universum inquinant, quod materierum e sanguine excernendarum retentionem inducunt.

Fluxum haemorrhoidalem utplurimum inducunt quaecunque momenta, quae salutare naturae molimen excitant, quo illa sese a superfluis aut noxiis, quae tam multa variaque incommoda corpori creant, per alvum exoneret, eoque modo sauguinem saltem pro tempore expurget. Ad haec vero pertinent: Aestuatio, refrigeratio, diaetae vitia, potus et cibi calefacientes irritantesque, atmosphaerae ambientis vicissitudines conspicuae, praecipue anni tempore vernali et autumnali, motus animi excitantes, motus corporis vehementes et continui, equitatio crebrior, febres quaecunque cum charactere sthenico vel erethico, inflammatoriae, gastricae, catarrhales, rheumaticae etc.; suppressio subitanea menstruorum, lochiorum, diarrhoeae, fluoris albi, sudorum pedum, perinaei, transpirationis cutaneae universalis, ulcerum habitualium, exanthematum, profluviorum cujuscunque generis, praeprimis cruentorum aliis ex locis profectorum.

Haemorrhoidas coecas quam maxime producunt: molimina haemorrhoidalia minus valida, sed temporis lapsu pluries repetita, alvi obstructio pertinax, vita sedentaria, consuetudo sellis perforatis per magnam diei partem insidendi, stimuli quicunque intestinum rectum afficientes

non fortiores, sed continui; intestini recti relaxatio, inflammatio, desorganisatio, quae vitia sanguinis profusionem impediunt ejusque in telam cellularem membranae mucosae subjectam effusioni ansam praebent; denique omnia illa momenta, quae sanguinis per intestini recti venas regressum retardant et impediunt.

DE HAEMORRHOIDIS CONSTITUTIONALIS PERVERSE DECURRENTIS PRAECIPUIS CAUSIS ET SEQUELIS.

Haemorrhoidis constitutionalis decursum regularem jam supra delineavimus, ibique annotavimus, diathesin haemorrhoidalem ad majorem gradum nondum excultam haud raro per naturales excretiones solito magis incitatas e. g., per diarrhoeam biliosam, urinae saturatioris secessum, largiorem pedum et perinaei sudorem etc. exaequari, et molestias praevias saltem pro tempore componi vel et omnino amoveri posse. Sin vero diathesis haemorrhoidalis jam eo praegressa est, ut ad eam exaequandam excretiones naturales, quamvis solito magis incitatae, non sufficiant, vel si etiam ipsa molimina ad rectum intestinum apparuerunt viamque indicarunt, qua natura a superfluis vel noxiis sese exonerare velit, neque tamen fluor criticus evadit, tum est, quod *haemorrhoidum retentionem seu haemorrhoidas retentas* vocamus. Si vero haemorrhoides quondam temporis intervallis plus minusve certis fluentes justo tempore non amplius fluunt, quin diathesis exstincta sit, tum est, quod *haemorrhoidum obstructionem seu haemorrhoidas obstructas* dicimus. Si haemorrhoides fluentes temporis lapsu magis magisque imminuuntur parcioresque fiunt, et tandem propter cor-

poris torporem universalem prorsus evanescunt, id *haemorrhoidum cessationem seu haemorrhoidas cessantes* appellamus. *Haemorrhoidum denique suppressionem seu haemorrhoidas suppressas* nominamus, si fluxus haemorrhoidalis jam praeparatus, vel etiam ortus subito intercipitur et praepeditur. Haec omnia haemorrhoidum vitia, ubi corporis humani fluidum, sit cruentum sit album, habitudinis vel morbi haemorrhoidalis lege ex recto intestino secernendum, aut jam secretum, qua ratione oporteat, non excernitur, generali nomine *ischaemiae seu epischeseos haemorrhoidalis* insignimus.

Si vero sanguinis congestio, profusio, aliaque symptomata inde scaturientia, quae natura diatheseos haemorrhoidalis exaequandae causa ad rectum intestinum excitat, non ad illum, sed alias ad corporis partes eadem ex causa exoriuntur, tum est, quod *haemorrhoidum anomaliam, insolitas vias seu haemorrhoidas anomalas, perversas, extraordinarias, erraticas, vagas, larvatas* vocamus, non respicientes, an fluor haemorrhoidalis ex recto intestino quondam affuerit, annon; si modo diathesis haemorrhoidalis in corpore latet, et symptomata inde exorientia per sanguinis congestionem et profusionem quocunque ex corporis loco emergentem leniuntur eoque modo profluvium alioquin ex recto intestino proficisci solitum compensatur. Attamen principiis nosologicis magis convenit, *haemorrhoidum* nomen ad illas tantum affectiones morbosas restringere, quae ad rectum intestinum e diathesi haemorrhoidali exoriatur, ceteris vero morbis, qui inde originem trahant, nonnisi verbum adjectivum *haemorrhoidalis* adjicere, e. g. epistaxis, haemoptysis, haematemesis, haematuria haemorrhoidalis.

Causae, quae decursum haemorrhoidis constitutiona-

lis regularem pervertunt, perversique sequelis originem tribuunt, aut *praedisponentes*, aut *occasionales* sunt.

Ad haemorrhoidis decursum perversum praedisponunt: Haemorrhoidarii aetas justo aut junior, aut provectior, temperamentum nervosum, erethismus aut torpor universalis, plethora venosa tam universalis, quam partialis, affectio morbosa cujuscunque organi, praesertim quod cum recto intestino commercium celebrat, sit dynamicum, sit organicum, e. g. irritatio morbosa vesicae urinariae, uteri, vaginae, renum, ventriculi, reliqui tubi intestinalis, mensenterii, hepatis, lienis, pulmonum, cordis, organi visus, auditus, cerebri, medullae spinalis etc.; vitia recti intestini varia, quae sanguini haemorrhoidali accipiendo excernendoque obsunt, v. g. ejusdem induratio, inflammatio, degeneratio cujuscunque generis.

Ad causas haemorrhoidis perverse decurrentis occasionales praecipue pertinent:

1. *Omnia momenta, quae sanguinis ex recto intestino profusionem impediunt vel supprimunt,* qualia sunt: Aestuatio, refrigeratio subitanea natuum, pedum, abdominis, terror, ira aliique motus animi nimis incitati, febres cujuscunque generis, sordes gastricae, diaeta nimis irritans aut debilitans, motus corporis nimii, applicatio frigidorum et adstringentium ad anum, motus animi deprimentes, moeror, tristitia, anxietas, inquietudo etc.

2. *Omnia momenta, quae quamcunque aliam partem praeter rectum intestinum in irritationem morbosam trahunt, eoque modo eam ad congestiones haemorrhoidales subeundas opportunam reddunt.* Huc spectant, quae febrem quamcunque cum affectione organi cujusdam topica conjunctam, profluvia morbosa, e. g. sudores nimios, salivatio-

nem, catarrhum pulmonum, narium, oculi, urethrae, vesicae urinariae, vomitum et diarrhoeam pertinacem excitare valent etc.

Symptomata, quae haemorrhoidem perverse decurrentem praecedunt et comitantur, pro haemorrhoidis perversae causis, et praecipue pro ratione organorum, in quibus congestio haemorrhoidalis sedem sibi diversam eligit, admodum diversa sunt; sunt interim aliqua eorum quodammodo generaliora et constantiora. Atque haec quidem sunt et ea, quae diathesi competunt, et ipsa molimina haemorrhoidalia, quae stabilitum hucusque cruoris ex ano profluvium praecedere solebant; et sanguifluxu e recto intestino licet haud futuro, nihilominus initio fideliter subintrant, quin haud raro etiam vehementiora fiunt, ad quae praecipue pertinent repletio, oppressio, tensio, calor, pruritus, ad anum et perinaeum, dolores lumborum, abdominis, coxarum, vasorum intestini recti turgor, splendor, aestus, ac dolor atrox, dysuria, ischuria, vesicae urinariae crurumque torpor etc. Sed temporis lapsu haec moliminum symptomata magis magisque imminuuntur, et denique prorsus evanescunt; eodem tamen tempore, eodemque passu, quo illa decrescunt, alia aliis ex corporis partibus intestino recto tam vicinis, quam ab illo remotis satisque distantibus emergunt, quae initio vaga et transitoria, postea vero magis magisque ad certam corporis provinciam contracta, denique ad organon quoddam restricta tardius citius tam increscunt, tantumque ad gradum evehuntur, ut pars affecta omnia fere vitia, quae rectum intestinum ab haemorrhoide constitutionali experiri vidimus, inde sibi contrahere possit. Ad affectiones morbo-

sas ab haemorrhoide perverse decurrente oriri solitas, si earum indolem respicimus, praeprimis pertinent sanguinis congestio, accumulatio, secretio aut imminuta, aut adaucta, aut prorsus mutata, vasorum, praecipue revehentium extensio; inflammatio ejusque variae sequelae in parte affecta; si vero earum sedem respicimus, ea potissimum organa ad affectiones haemorrhoidales subeundas opportuna reperimus, quae muneri secretionis, excretionis, aut exhalationis praesunt et rebus externis praecipue patent, praesertim, si cum recto intestino commercium sive organicum, sive dynamicum celebrant. Sed caterva malorum, quae ex ischaemia haemorrhoidali scaturiunt, tam magna et ingens est, ut hic ea tantum referre possimus, quae crebrius occurrunt, et fluorem haemorrhoidalem ex recto intestino oriundum compensare, vel saltem diatheseos haemorrhoidalis effectus nocivos in partes nobiliores mitigare, ab iisque derivare praeprimis valent.

Nullum corporis humani organon haemorrhoidis, sive suppressae, sive retardatae, sive imminutae effectus nocivos tam facile tamque frequenter experitur, quam *vesica urinaria*, tum propter vicinitatem et commercium, quod nervorum et vasorum ope cum recto intestino habet, tum ob vesicae ipsius in viris aetate provectioribus majorem ad morbos dispositionem experientia et observatione quotidiana confirmatam. Symptomata vero, quae vesicam haemorrhoide affectam designant et comitantur, haec potissimum sunt: Sensus languoris femorum, tensionis perinaci et testiculorum, angustiae, tensionis, caloris, ardoris in hypogastrio, mictus non modo solito frequentior, sed majori simul conatu absolutus, dolores pungentes et

constringentes in regione hypogastrica, praecipue ad vesicae collum, saepe ad glandem usque extensi, praesertim quum aegrotantes mejunt. Initio plerumque urina stillatim, postea singulis ictibus et flumine interrupto secedit, sed post ejus secessum dolores nihilominus continuantur, et perinaeum utplurimum occupant ita, ut aegrotantes perinaei attactum sine magno dolore admittere nequeant. Sed haud raro dolores hypogastrii, perinaei, lumborum in immensum increscunt, anxietas, spirandi difficultas, nausea, vomendi conatus ipseque vomitus, febrilia hinc inde symptomata cum pulsu frequente, contracto, animi deliquia, sudores frigidi succedunt, ac nunc urinae retinendae difficultas, nunc vero continuus mejendi nisus, dysuria, stranguria, tenesmus ad anum, vel et ipsa urinae retentio sequuntur. Sub tam dira aegrotantis conditione sanguis tandem cum lotio, plerumque haud plurimus, sed obscurior, aut nigricans cum urina minus bene mixtus descendit fluidus. Nunc symptomata praecedentia plerumque mitigantur, ac urinae clariores minusque cruentae liberius redduntur; sed interdum repente istarum cursus a grumo aut materia polyposa ad vesicae cervicem detrusis, compactis intercipitur, ac nisus quasi mulieris a partus doloribus prehensae, saepe vani ac intolerabili viros imprimis cruciatu vexantes sequuntur. Sub istis interim sanguinis coacti frustulum aut polyposae materiae portio per urethram quorundam non sine violentia extensam dolentemque exprimitur, aut sanguis ater ac densus, nec raro materia puriformi onustus vix ad matulam delabitur, quum illico ad istius fundum praecipitat, crassumque et a lotio cruento quidem, sed minus obscuro, nec raro pellucido distinctum sedimentum, alti-

tudinis conspicuae constituat. Nihilominus etiam sunt, quibus cruor sub satis manifesta ejusdem ex ipsa vesica scaturigine sine conspicua molestia ac fere ullo sine nixu cum urinis per urethram veniat, nec desunt, qui sanguinem ex vesica ad easdem, quam ex ano haud pridem solebant, periodos et vix majore sub salutis incommodo excernant *(Haematuria vesicae haemorrhoidalis seu haemorrhoides vesicae urinariae fluentes sanguinolentae).* Haud raro sanguinis loco iisdem fere symptomatibus praeviis cum eodem molestiarum praecedentium levamine cum urinis excernitur materia mucosa, puriformis, tenacissima, foetidissima, matulae ad fundum ruens *(Haemorrhoides vesicae mucosae, albae seu pyuria viscida haemorrhoidalis).* Si vero symptomata, quae vesicae haemorrhoide laboranti competere modo diximus, adsunt, et temporis lapsu nunc mitiora, nunc vehementiora perseverant, quin unquam sanguis aut pituita tenax per urethram profluat, eoque modo molestiae saltem pro tempore leniantur; tum medicus specillo vel cathetere per urethrae canalem explorans ad vesicae usque collum facile penetrat, sed ibi plerumque impedimentum offendit, quo vi superato sanguinis stillicidium saepe sequitur. Hoc impedimentum constituunt vasorum colli vesicae dilatationes seu varices *(Haemorrhoides vesicae coecae)*, interdum etiam ibidem tumores alius generis, iis similes, qui ad anum et rectum intestinum ab haemorrhoide oriuntur. His vesicae, praesertim ejusdem cervicis affectionibus haemorrhoidalibus haud raro accedunt, vel cum istis conjunctim incedunt *variae prostatae affectiones* eadem ex causa originem ducentes, quales sunt ejus irritatio, inflammatio, induratio, suppuratio, ulceratio etc. Cruo-

ris haemorrhoidalis ad vesicam congestionem, nisi eam sanguinis aut pituitae profusio sequitur et exaequat, haud raro excipiunt: vesicae inflammatio; induratio, incrassatio, degeneratio, suppuratio, ulceratio, gangraena ejusdem membranae mucosae eique subjectae telae cellulosae, et omnia mala, quae inde exoriri possunt.

Rarissime haemorrhois constitutionalis *ad renes* aberrat, unde haec fere symptomata: Praeviis moliminibus haemorrhoidalibus aegrotantes plerumque conqueruntur de sensu pressionis in regione lumbali, de doloribus trahentibus juxta ureterum iter versus vesicam directis, de urinae secretione imminuta. Praeterea per consensum exoriuntur pressio in regione epigastrica, quin aegrotantes cibos fastidiant; vix ingestorum per vomitum ejectio; denique dolores trahentes admodum increscunt (colica renalis), abdomen contrahitur, vomitus nascitur, urinae secretio prorsus supprimitur, et tandem subito magna copia urinae e rubro subnigrae, sedimentum cruentum deponentis, per urethram emittitur cum molestiarum praeviarum levamine plus minusve conspicuo. Cruoris haemorrhoidalis ad renes congestionem, haematuria renali non exaequatam, excipere possunt: renum inflammatio, suppuratio, ulceratio (phthisis renalis), degeneratio etc.

Haud multo rarius, quam in viris vesica urinaria et prostata, in feminis aetate provectioribus *uterus et vagina* ischaemiae haemorrhoidalis effectus nocivos experiuntur. Mulieres aetate provectiores, quae quondam fluorem haemorrhoidalem aut saltem molimina aliaque symptomata diathesi haemorrhoidali propria perpessae sunt, nunc conqueruntur de pressione in regione hypogastrica, de sensu, ac si uterus in vaginam deprimatur.

Digitus per vaginam immissus uterum plerumque profundius, quam in statu normali, in pelvi minore situm, ejusdem cervicem et vaginam ejusque laquear venis turgidis et varicosis saepe obsessa reperit. Temporis intervallis plus minusve extensis, extra tamen mensium periodos cruor ex utero per vaginam excernitur, qui colore obscuro, piceo et odore peculiari a cruore menstruali prorsus differt. Interdum cruoris loco, aut paulo ante vel post ejus excretionem per vaginam secedit pituita subflava, subviridis, tenax et peculiariter graveolens cum molestiarum levamine transitorio. Nonnunquam cruor etiam ex vagina venit, quo in casu ejus lumen solito angustius, et ipsa sub coitu admodum dolens plerumque reperitur. Sed congestionem ad vaginam haemorrhoidalem saepius fluor albus excipit, cui id peculiare est, ut ad periodos plus minusve certas nunc parcior, nunc copiosior evadat, interdum cum fluore haemorrhoidali ex recto intestino alternet vel cum eodem conjunctus sit. Simili ratione se habet blennorrhoea haemorrhoidalis *urethrae*, quam suppressam testiculorum, praeputii, ipsiusque urethrae inflammatio ejusque varii exitus excipere possunt.

Haemorrhoidarii, quibus motus haemorrhoidales ad *tenuia intestina* aberrant, utplurimum patiuntur dolores torquentes circa umbilicum, qui paulo post ciborum ingestionem augentur; abdominis regio umbilicalis apparet tumefacta, tensa, attactu subdura, alvi excretio irregularis, plerumque ejusdem obstructio pertinax; faeces, quae per alvum dejiciuntur, sunt durae, exarefactae, combustae; pedes et manus frigent, facies flavescit, livescit, pallescit. His sub conditionibus tempore longiore vel

breviore praeterlapso tandem aegrotum sensus incessit, ac si liquor circa umbilicum effundatur. Abdomen magis intumescit, manuque pressum strepitum fluctuantem edit; quo magis vero abdominis tumor increscit, eo magis succedunt signa sanguinis inopiae in partibus externis, pulsus parvus, debilis, tremulus, frigus artuum, faciei subitanea deformatio, ejusdem vultus distractio et distorsio; tandem sub vehementi nixu materiae subnigrae, piceae, copiosae per alvum dejiciuntur. Ejusmodi alvi excretiones per nonnullos dies reiterantur et tum in tempus aliquod disparent, donec symptomata supra dicta revertantur *(morbus niger Hippocratis)*. Si vero congestio haemorrhoidalis ad intestina tenuia eorumque mesenterium non per cruoris, aut materiae nigrae excretionem exaequatur, tum plerumque nascuntur dolores dirissimi, lacerantes, constringentes in regione umbilicali versus vesicam tendentes, quibus abdomen nunc contrahitur nunc extenditur; abdomen sine vehementi dolore attactum non permittit, accedunt alvi obstructio pertinax, tenesmus, calor internus, anxietas magna, vomituritio, ipseque vomitus, pulsus frequens, parvus, contractus, inaequalis, intermittens, frigus artuum, respiratio anhelosa, palpitatio cordis, convulsiones, ut rem paucis absolvam, omnia enteritidis vehementis symptomata. Atque hoc est, quod *colicam haemorrhoidalem* vocamus.

Quibus motus haemorrhoidales ad *ventriculum eique adnexum lienem* deferuntur, his hypochondrium sinistrum et regio epigastrica intumescunt ac dolent, praesertim post ciborum ingestionem; propter lienis tumefacti in partes supra positas pressum respirandi difficultas in pectoris latere sinistro et tussicula sicca accedit. Dolores pungentes a

liene ad ventriculum tendentes sequuntur ructus acidus, vomendi conatus ipseque vomitus acidus; his symptomatibus temporis lapsu pluries repetitis tandem succedit tumor dolorque regionis epigastricae auctus, sensus, ac si liquor calidus in ventriculi cavum effundatur, vomendi nisus ipseque vomitus, quo humores nigri, picei, fusci per os ejiciuntur. Post ejusmodi materiarum ejectionem symptomata praevia pro tempore mitigantur vel evanescunt. Cruoris haemorrhoidalis ad ventriculum et lienem congestionem vomitu cruento non sublatam sequuntur horum organorum inflammatio, induratio, ulceratio, desorganisatio scirrhosa, haematodes, fungosa, et, quae inde proveniant, mala varia.

Ad hepar delati motus haemorrhoidales excitant tumorem et dolores hypochondrii dextri, diarrhoeas et vomitus biliosos, febres biliosas, atrabilares, aut icterum, hepatis inflammationem, suppurationem, indurationem, desorganisationem etc.

Quibus congestiones haemorrhoidales *ad pulmones* procedunt, hi de sensu pressionis, gravitatis in uno alterove, vel interdum in utroque pectoris latere conqueruntur, de respirandi difficultate, de tussi, qua plerumque pituita copiosa ejicitur; postea pituita minus copiosa, haud raro striis sanguineis commixta et ipse cruor e bronchiis ejicitur (*haemoptysis haemorrhoidalis*). Hanc haemoptysin saepe antecedunt livor facici, labiorum oris, genarum, linguae etc. Si vero congestionem neque blennorrhoea neque haemorrhagia pulmonalis sequitur, tum congestio illa haud raro in pulmonum inflammationem, suppurationem, ulcerationem (*phthisis haemorrhoidalis*), hepatisationem aliaque vitia organica transit. Nonnunquam membranae mucosae bronchialis vasa sanguifera exten-

duntur et varicosa fiunt, quod vitium *asthma haemorrhoidale* constituit.

Si *cor*, praecipue ejus *pars dextra* et, quae in ejus atrium dextrum hiat, *vena cava adscendens* ischaemiae haemorhoidalis effectus nocivos perpetitur, exoriuntur sensus oppressionis et vibrationis ad scrobiculum cordis, anxietas et inquietudo magna, saepe ad lipothymiam usque, symptomata asthmatica transitoria, tandem tumores oedematosi ad extremitates inferiores aliasque ad partes. Cor ipsum et, quae ex eo prodeunt, venae cavae tum adscendens, tum descendens in haemorrhoidariorum cadaveribus dissectis saepe dilatata reperiuntur.

Medulla spinalis ab haemorrhoide affecta, prout ejus pars aut cervicalis aut dorsalis aut lumbalis et sacralis congestioni haemorrhoidali substratum praebet, plurima diversissimaque symptomata producit. Affectionem partis cervicalis comitantur sensus tensionis, tractionis, rigoris ad nucham, difficultas deglutiendi, quin organa faucium affecta sint; affectionem haemorrhoidalem partis dorsalis sequuntur sensus rigoris et torporis extremitatum superiorum, dolores constringentes in pectore, dyspnoea, insultus asthmatici; si denique medullae spinalis pars inferior congestiones haemorrhoidales perpetitur, id quod saepe accidit, tum exoriri possunt dolores vehementes ad os sacrum, ad lumbos, ad coxas, torpor et languor extremitatum inferiorum, dysuria, stranguria, ischuria, aliaque symptomata, quae organorum in pelvi sitorum vitia varia mentiri solent. Simili modo, quam medulla spinalis, ischaemiae haemorrhoidalis effectus nocivos singuli nervi majores experiri possunt, e. g. nervus ishiadicus, crura-

lis etc. Ad vitia ipsa medullae spinalis, quae haemorrhoidali ad eam congestioni succedere possint, praeprimis pertinent sanguinis in illa inque partibus eam involventibus accumulatio, earum inflammatio, ulceratio, ejusdem velamentorum membranaceorum secretiones morbosae, seri, cruoris aut materiae lymphaticae effusio in cavum columnae vertebralis, vertebrarum inflammatio, destructio cariosa; vasorum spinalium et vertebralium dilatationes et varices. Quot quantaque symptomata inde originem ducere aliorumque organorum morbos prorsus ab his diversos simulare queant, quis non intelliget?

Quibus congestio cruoris haemorrhoidalis *ad caput ejusque organa* surgit, his exoriuntur capitis gravitas, dolor, vertigo, somnolentia, insomnia terrifica; oculorum scintillae, varii colores, tenebrae transitoriae, aurium susurrus, tinnitus, sibilus, pulsatio, gravitas, surditas transitoria, sopor, insultus apoplectici etc. Haec multaque alia symptomata ad periodos plus minusve certas exacerbantur iterumque mitigantur; tempore aestivo fervidoque, alvi obstructione persistente et post excessum in Baccho et Cerere, sicut post motus animi et corporis incitatos plerumque vehementiora sunt et augentur. Has molestias longius breviusve perseverantes saepe tollunt vel saltem imminuunt et leniunt:

1. Profusio sanguinis aut humoris pituitosi e naribus (*epistaxis, gravedo haemorrhoidalis*). Haec membranae organi olfactorii pituitariae affectio praesertim in junioribus observatur, qui a parentibus haemorrhoidi constitutionali subjectis originem trahunt. Haud raro hoc profluvium cruentum easdem periodos observat, quam

fluor haemorrhoidalis in aetate provectiore ex intestino recto.

2. Exempla etiam exstant, ubi cruoris profluvia periodica *e faucibus, palato molli, gingivis ceterisque locis membranae mucosae cavum oris investientis* fluoris haemorrhoidalis vices egerint.

3. Haemorrhagia *aurium* aut *otorrhoea muciflua* et *purulenta*, quod tamen rarissime accidit.

Si vero congestio haemorrhoidalis ad cerebrum perseverat, neque profluvio, sit cruento sit mucoso, e naribus, auribus aliisve locis scaturiente tollitur, eoque modo ischaemiae haemorrhoidalis effectus nocivi a cerebro derivantur; tum accedunt effusio sanguinis, seri, lymphae in cavum cranii, vasorum cerebralium praeprimis plexus chorioidei varices, cerebri ejusque velamentorum inflammatio, et, quae inde nasci consueverint, varia mala. Transeamus ad *oculi* affectiones haemorrhoidales. —

Quot quantaque tum acuta tum praecipue chronica mala hoc corporis humani praestantissimum perfectissimumque organon ex ischaemia haemorrhoidali et, quae inde scaturit, sarcina abdominali repetere possit, is facile intelliget, qui connexum et rationes considerat, quas hoc organon cum reliquis corporis partibus, praecipue vero cum organis abdominalibus celebret. Et mehercle ii minime a veritate aberrare videntur, qui multorum oculi morborum fontem in morboso organorum abdominalium statu quaerunt; nam experientia quotidiana compertum habemus, hujusmodi mala omnibus remediis ad oculum ipsum applicatis non solum pertinaciter resistere, sed etiam magis magisque increscere, neque nisi remediis, quae in organa abdominalia vim salutarem ex-

erceant et humores corporis inquinatos aliorsum ducant, sananda esse. Sed, quod medico morborum naturam investiganti multo majoris momenti est, hoc organon pellucidum et oculis nostris patens speculum quasi nobis exhibet, in quo etiam minimarum structurae et coloris mutationum ortum, decursum variosque exitus observare concessum est. Si quidem verum est, easdem membranas, aut mucosas, aut vasculosas, aut serosas, aut fibrosas, quacunque in corporis parte locum habeant sive in oculo, sive in cranio, sive in pectore, sive in abdomine, ab iisdem semper processibus morbosis corripi, eodem modo inde mutari, mutatasque eadem ratione ad statum pristinum reduci, si hoc, inquam, verum est, tum nulla corporis humani pars ad morborum quorundam indolem rite cognoscendam et intelligendam locum aptiorem magisque idoneum nobis offert, quam oculus humanus. Quibus vero hoc ad organon cruor haemorrhoidalis congeritur, his venae sub palpebrarum cute jacentes intumescunt, conjunctivae vasa turgent et extenduntur, tela cellulosa illa includens relaxatur, intumescit et saepe humore seroso repletur, saepissime in conjunctivae superficie singula vasa tumida ab oculi peripheria versus corneae marginem proserpunt, ibique aut desistunt, aut reflexa cum aliis ejusmodi vasis connectuntur, eoque modo ad corneae marginem arcus versus oculi peripheriam hiantes efficiunt (*vasa abdominalia*); interdum haec vascula, minoris tamen luminis, tam coacervata sunt, ut revera rete vasculosum ab uno alterove angulo ad mediam corneam usque extensum exhibet *(pannus abdominalis)*; huc etiam referendae sunt nonnullae excrescentiae e. g. pterygia, pinguecula, carunculae lacrymalis hypertrophia,

desorganisatio fungosa, nonnulla hordeola etc. Si congestio haemorrhoidalis diutius ad oculum perseverat aut mojor fit, plerumque pervertitur secretio membranae mucosae tum bulbi, tum praecipue viarum lacrymalium, ejusque folliculi mucosi intumescunt et loco liquidi mitis et mucosi humorem acrem et puriformem secernunt. Hoc secretum haud raro tam acre est, ut partes et, e quibus excernitur, et iis vicinas corrodat, perpetuo irritet, inflammationem lentam excitet ac tandem ulcera producat, quorum margines et fundus vasculis profunde rubris scatent; haud raro etiam blennorrhoea conjunctivae palpebrarum, bulbi, membranae mucosae vias lacrymales investientis, etc. exoritur. Si vero hae secretiones partium oculi externarum morbosae supprimuntur, vel si cruor haemorrhoidalis tali cum impetu tantaque copia ad visus organon abripitur, ut secretio membranae mucosae sileat, et principiis morbidis eliminandis impar fiat, tum ovuli partes et externae et internae inflammatione ejusque variis sequelis corripiuntur. Nascuntur inde haud raro etiam haemorrhagiae in camera oculi anteriore, ejusdem hydrops, exsudationes lymphaticae membranarum oculi serosarum, e. g. membranae Descemeti superficiem corneae posteriorem iridisque anteriorem obducentis, capsulae lentis, hyaloideae etc. cataracta, glaucoma amblyopia, amaurosis etc. Praeterea congestionem haemorrhoidalem ad chorioideam, iridem, corpus ciliare sequuntur harum partium vasa tumida, dilatata, varicosa, quae circa corneae marginem plerumque per scleroticam transparent. Denique adhuc memoranda sunt illa tubercula rotunda vel ovalia, coloris coerulei, magnitudinis capituli acus ad pisum usque et ultro, quae

staphylomata scleroticae et corporis ciliaris vocantur. Haec tubercula in sclerotica, praecipue ad corneae marginem modo singulatim, modo catervatim reperiuntur. Quondam omnium fere opinio fuit haec tubercula esse varices chorioideae vel corporis ciliaris, quod etiam interdum verum est, sed plerumque ea non varices esse inde patet, quod, si haec tubercula aperiuntur, non sanguis, sed humor aquosus ex iis profluit, et, si quod integrum exsecamus, scleroticae partem, quae tuberculo exciso sedem praebuit, chorioideae et corpori ciliari accretam, attenuatam, expansam, et cavum inde ortum humore aqueo repletum reperimus.

Ad affectiones morbosas, quas corporis *cutis* ab haemorrhoide non satis diu, nec satis copiose fluente, sive retenta, sive retardata, sive cessante, sive suppressa, haud raro repetit, et quae fluxum haemorrhoidalem compensare, vel saltem ischaemiae haemorrhoidalis effectus nocivos in nobiliores partes mitigare ab iisque ad cutem derivare possunt, ad has cutis affectiones haemorrhoidales praeprimis pertinent: *Sudores partiales* profusi, peculiariter olentes, interdum quam maxime foetidi, corrodentes, pruritum excitantes, *ad anum, perinaeum, femora interna, genitalia, et ad pedes.* Quibus hi sudores subito supprimuntur, haud raro inde omnia mala, quae a fluxu haemorhoidali suppresso, experiuntur. Hae cutis partes sudori haemorrhoidali praecipue obnoxiae etiam erosione, inflammatione erysipelacea, desquamatione, ulceratione, gangraena corripi possunt. *Lichen haemorrhoidalis*: Exoriuntur maculae obscure rubrae ad perinaeum, genitalia, et femora interna, e quibus pullulant crebriores vesiculae liquore pellucido luteo repletae, qui mox coagulatur et exsiccatus crustam crassam efficit.

Praeterea huc pertinent *nonnulli furunculi, ulcera haemorrhoidalia* ad extremitates inferiores, quibus proprium est, ut eorum partes ambientes plerumque lividae sint venisque varicosis scateant et ipsa ad periodos plusminusve certas sanguinem fundant. *Acne rosacea,* vasculosum illud apicis nasalis rete, e quo nonnunquam tubercula pullulant, quae in suppurationem superficialem transeunt eoque modo crustas efficiunt.

Denique adhuc referendum est, ischaemiam haemorrhoidalem haud raro *morbis hydropicis* e. g. ascitae, hydrothoraci, hydrocelae, anasarcae originem tribuere.

DE HAEMORRHOIDIS CONSTITUTIONALIS CAUSA PROXIMA.

Praemissis haemorrhoidis constitutionalis, tam regulariter, quam perverse decurrentis, praecipuis symptomatibus, causis et sequelis, jam nonnulla de *hujus morbi causa proxima* afferamus. Quodsi in memoriam revocamus, quaenam praeprimis symptomata diathesi haemorhoidali competant, quibusnam viis et rationibus natura provida diathesin illam exaequare et, quae inde originem trahunt, varias molestias componere vel saltem levare consueverit, quaenam denique vitia omnes fere corporis humani partes ab haemorrhoide perverse decurrente repetere possint, si haec omnia quamcunque diversa animo colligimus, collecta vero ad unum eundemque fontem reducere conamur, tum nil nobis restat, quam ut ad systematis sanguinei affectionem morbosam confugiamus. Sed quaeritur, qualis sit illa affectio, et quanam in systematis sanguinei parte ea lateat, num in vasis sanguinem continentibus, an potius in sanguine ipso eadem collo-

canda sit? Si vero reputamus, diversorum diathesi haemorrhoidali et generandae et evolvendae praecipue faventium momentorum in corpus humanum effectus varios in eo tandem convenire, ut sanguinis copiam et indolem qualicunque modo depravent, tum haemorrhoidis causa proxima ad sanguinis conditionem morbosam referenda est, et, quum haemorrhoidariorum plurimi nulla sanguinis nimis copiosi indicia praebeant, sed haud raro sanguinis inopia laborare videantur, verisimillimum est, haemorrhoidis causam proximam non in sanguinis copia nimia, sed in ejusdem indole vitiosa quaerendam esse. Hoc vero sanguinis vitium originem suam repetit aut a materiis non satis assimilatis in sanguinem susceptis, aut ab iisdem rite quidem assimilatis, sed in organis sanguificationi dicatis ad justum gradum non elaboratis, aut a materiis e sanguine eliminandis non excretis, sed in sanguine retentis aut tandem a pluribus his causis. Materierum vero in sanguinem convertendarum assimilatio imperfecta, seu chyli indoles vitiosa supponit aut nutrimentorum pravam copiam indolemque, qua digestioni minus cedant, aut organorum digerentium assimilantiumque conditionem morbosam, qua ea etiam nutrimentis digestu non difficilibus rite subigendis minus sufficiant v. g. eorum languorem, virium assimilatricum oppressionem, secretiones imminutas aut adauctas, sed minus idoneas, aut prorsus perversas ita, ut chymo chyloque parandis riteque elaborandis non sufficiant. Ad ejusmodi secreta autem praeprimis pertinent saliva, succus gastricus, entericus, pancreaticus, bilis etc. Chyli jam cum sanguine commixti in vasorum sanguiferorum systemate ulterius elaborandi et in ipsum tandem sanguinem convertendi

impeditio organorum sanguificationi inservientium statui morboso originem debet, praeprimis respirationi imperfectae, sive propter aëris indolem pravam, sive propter ipsorum organorum, quae respirationi praesunt, vitia et affectiones morbosas. Principiorum denique e sanguine excernendorum in eodem retentio supponit aut sanguinem ipsum materiis alienis nimis inquinatum, quam ut ab iis per emunctoria corporis naturalia expurgari queat, aut latet in organorum excernentium sanguini expurgando inservientium diathesi morbosa v. g. in affectionibus morbosis aut vitiis organicis renum, cutis, omnium membranarum mucosarum, si aliter his munus impositum est, per muci secretionem etiam superflua aut noxia e corpore eliminandi, uti tubi intestinalis, bronchiorum pulmonalium, organi olfactorii, visus ipsiusque auditus membranae mucosae; praecipue vero in hepatis conditione morbosa, qua bilis secretio aut imminuta, aut minus concentrata, aut prorsus suppressa, aut plane perversa redditur. Sed magni momenti est scire, quaenam organorum assimilationi, sanguificationi vel excretioni inservientium in hominibus haemorrhoide laborantibus praeprimis morbose constituta sint, et sanguinis indoli haemorrhoidali originem tribuant. Si etiam omnes fere corporis humani partes, quae aut digestioni aut chylificationi, aut sanguificationi, aut excretioni praesunt, morbose constitutae esse eoque modo sanguinis indoli vitiosae ansam dare possunt; omnia tamen symptomata potiora, quae homines diathesi haemorrhoidali obnoxii offerunt, plus minusve ad organa abdominalia morbose constituta pertinent. Quocunque res se habeat, utplurimum vix in dubium vocari potest, quin diathesis hae-

morrhoidalis in constitutione morbosa illorum organorum abdominalium, quae *vena portarum* connectit, quaerenda sit. Vena portarum haud dissimilis est arboris trunco, cujus radices multifarias omnes, quae ab organis digestioni et chylificationi dicatis veniunt, venae exhibent, cujus vero numerosos ramos et surculos sistunt venae portarum multifariae ramificationes in hepatis ductibus biliferis. Venae portarum territorium itaque extensum est parte inferiore ad totum fere canalem alimentarem, et quae cum eo conjuncta sunt, organa, lienem, pancreas etc., parte superiore autem in hepar. Hac ratione systema venae portarum nobis offert maximum assimilationis et sanguinis expurgationis apparatum, cujus vasa afferentia materiis forinsecus susceptis plus minusve assimilatis colligendis, cujus vasa ad hepar vehentia materiis collectis a superfluo aut noxio expurgandis destinata sunt. Organa ergo, quae venae portarum, et parti inferiori, et superiori adnexa sunt, sanguini et generando et elaborando quam maximi momenti esse oportet. Ex omnibus, quae modo enumeravimus, momentis colligi licet, diatheseos haemorrhoidalis causam proximam praecipue ex conditione quadam morbosa organorum venae portarum adnexorum exoriri, et in sanguinis indole vitiosa inde profecta latere. Sed quale illud sanguinis, praecipue in systemate venae portarum contenti vitium sit, definitu difficillimum est, nonnisi hujus sanguinis vitii varios in corpus humanum effectus novimus et scimus, naturam providam illud vitium modo per excretiones alias magis incitatas, e. g. sudoris ad perinaeum et partes ei adjacentes et ad pedes proprie olentis, urinae saturatioris, alvi dejectionibus hinc inde largioribus

exaequare, modo ad illud exaequandum novas plane excretiones excitare, e. g. profusionem sanguinis vel materiae puriformis ex recto intestino, ulcera ad extremitates inferiores etc. Supra etiam cognovimus, naturam providam, si his viis sanguis a superfluis aut noxiis non expurgetur, quamcunque occasionem observare, ut sese ex quocunque demum loco a principiis morbidis sanguini inhaerentibus liberet exoneretque. Horum principiorum excretioni substratum praebere possunt cutis, membranae mucosae quocunque in loco, et interdum etiam membranae serosae. Nam experientia compertum habemus, quod natura superflua aut noxia e corpore per vias solitas eliminandi impotens, eadem per membranas serosas e sanguine excernit, eoque modo collatoria naturalia compensare conatur.

VITA.

Joannes Henricus Wirth, mens. Novbr. anni MDCCCX in vico Mosellano, cui nomen est Enckirch, patre Georgio Henrico et matre Charlotta e gente Schetter, quos Deo favente adhuc superstites veneror, natus et confessioni evangelicae addictus sum. Primis literarum rudimentis in vico patrio jam instructus annum decimum quintum agens progymnasium Kirnense annum unum et dimidium frequentavi, unde dein Gymnasium Crucenacense adii ibique per annos quatuor et dimidium moratus sum. Inde maturitatis testimonio dimissus vere ineunte anni MDCCCXXXI Medicinae studio operam daturus Bonnam me contuli, ibique a Beat. de Droste-Huelshoff, t. t. Rectore magnifico civium academicorum numero adscriptus, nomenque apud Ill. Harlefs, t. t. ordinis medicorum decanum quam maxime spectabilem professus sum. Bonnae per annum unum et dimidium his interfui praelectionibus:

Ill. Treviranі de botanice tam generali quam speciali; Ill. Goldfufs de zoologia et zootomia; Ill. Noeggerath de mineralogia; Ill. a Muenchow de physice experimentali; Ill. G. Bischof de chemia experimentali; Ill. Weber de osteologia; Ill. van Calker de logice et psychologia; Ill. Mayer et Weber de anatomia tam generali, quam speciali; Ill. Mueller de encyclopaedia et methodologia medica nec non de physiologia experimentali; Ill. Nees ab Esenbeck jun. de botanice pharmaceutica.

Autumno anni MDCCCXXXII Heidelbergam profectus ibique in civium Universitatis Ruperto-Carolinae numerum ab Ill. Umbreit, t. t. Prorectore Magnifico receptus per annum integrum hisce interfui praelectionibus:

Ill. Gmelin de materia medica; Cel. G. Arnold de pathologia et therapia generali; Ill. Naegele de arte obstetricia; Ill. Tiedemann de anatomia et physiologia partium genitalium et de foetus evolutionis historia; Ill. Chelii de ophthalmologia. In arte cadavera secandi mihi duces fuerunt Ill. Tiedemann et Fr. Arnold. Praeterea etiam exercitationibus clinicis, chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Chelii interfui.

Autumno a. MDCCCXXXIII. Berolinum petii ibique ab Ill. Strauss, t. t. Rectore Magnifico in civium academicorum numerum receptus et ab Ill. Busch, t. t. Decano quam maxime spectabili medicinae studiosorum ordini adscriptus hucusque hasce praelectiones clinicas frequentavi:

Clinicum medicum Ill. Bartels et Cel. Wolff; clinicum chirurgicum Ill. Rust et Cel. Dieffenbach; clinicum ophthalmiatricum Ill. Juengken; clinicum medico-chirurgicum Cel. Truestedt; clinicum infant. Cel. Barez; clinicum obstetricium Ill. Busch, qui etiam exercitationum in phantomate instituendarum dux et moderator mihi fuit; demonstrationes anatomicas Ill. Mueller.

Quibus omnibus Viris illustrissimis et de me maxime meritis summas gratias habeo semperque habebo.

Tentaminibus vero et philosophico et medico atque examine rigoroso coram gratiosa facultate medica superatis, spero, fore, ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Hepatis functio magis in sanguine emendando, quam in digestione adjuvanda consistit.
2. Ulcera intestinalia multo frequentius febri nervosae, quam hanc istis originem debere censeo.
3. Si de venaesectione ambiguum est, instituenda sit an non? eam instituendam esse censeo.
4. Fluxus haemorrhoidalis homini sano nunquam competit.
5. In lente cataractosa e pupillae ambitu dislocanda scleroticonyxin ceratonyxi plerumque praeferendam esse censeo.
6. In lente cataractosa per extractionem removenda incisionem corneae inferioris incisioni superioris, ceteris paribus, semper praeferendam esse censeo.
7. Si parturiens nonnisi aut per sectionem caesaream aut per embryotomiam onere ipso vivo liberari potest, matri perforationem jubenti obediendum esse censeo.
8. Fluor albus post cessationem mensium, nisi cautissime, supprimendus non est, praesertim in feminis robustis.
9. Femina in superandis morbis validior est, quam vir.
10. In morbis chronicis sanandis summum remedium in impellendis justis secretionibus et excretionibus positum est.